



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Irregularitas. Irregularis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

64. Interdictum potest auferri vel suspendi ab eo qui
 lit interdictum in totum, aut quoad aliquos effectus immu-
 diatos, quia censura ligat ad nutum & voluntatem con-
 toris. *Ibid. num. 4.*

65. Episcopus potest absolvere ab interdicto locali po-
 to à jure; non autem si interdictum sit personale publicum
 aut latum à Papa tamquam ab homine *Ibid. num. 5.*

66. Parochus vel alius Confessarius potest jure commu-
 ni absolvere ab interdicto personali, particulari non rele-
 vato. Ita *cap. nuper de sent. excomm. ibid. n. 6.*

67. Interdictum adnexum excommunicationi reservatum
 non idcirco est reservatum; quia materia odiosa non est am-
 plianda. *Ibid. num. 7.*

68. Interdictum non censetur sublatum ex eo quod non
 servetur ab eo qui illud tulit. *Ibid. num. 8.*

69. Absolutio interdicti dari potest ad cautelam, excepto
 interdicto locali generali. *Ibid. num. 9.*

70. Papa potest auferre interdictum per solam volunta-
 tem interioriorem, quia censura non ligat ultra voluntatem le-
 gislatoris: Episcopus verò non potest auferre censuram per
 solam voluntatem, argumento *cap. 1. de regul. jur. nam. ipse*
est subjectus juri communi. Ibid. num. 10.

Invidia.

Vide v. *Charitas.*

Irregularitas, Irregularis.

Vide v. *Censura.*

1. Fœmina non potest dici irregularis, cum ipsa non sit ca-
 pax ordinum: similiter neque infidelis, qui nondum recepit
 Baptismum, cum non baptizatus sit incapax ordinum, &
 consequenter irregularitatis. *tom. 1. de Irregularitate, disp. 7.*
quest. 1. num. 3 & 4.

2. Irregularitas est canonicum impedimentum ex facto,
 vel defectu proveniens, quod directè impedit susceptionem
 ordinum Ecclesiasticorum, aut eorum usum, ob reverentiam
 divini. *Ibid. punct. 1. num. 1.*

3. Irregularitas est duplex Una dicitur ex defectu, vel in-
 de-

dentia quæ provenit absque culpa: altera dicitur ex facto, seu delicto, ut ex homicidio. Irregularitatis ex defectu, & ex delicto species.

- | | | |
|----------------------------------|---|--|
| Irregularitas ex defectu dicitur | } | ex defectu animi. |
| | | ex defectu corporis. |
| | | ex defectu natalium. |
| | | ex defectu ætatis & libertatis. |
| Irregularitas ex delicto dicitur | } | ex defectu sacramenti, id est, bigamia. |
| | | ex defectu lenitatis, id est, ex homicidio licite patrato <i>ibid. n. 6 & 7.</i> |
| | | ex iteratione Baptismi. |
| | | ex indebita susceptione, vel usu ordinis. |
| | | ex actu infidelitatis, aut hæresis. |
| | | ex infamia. |
| | | ex homicidio illicitè patrato. <i>ibid.</i> |

Irregularitatis causa.

4. Causa efficiens sunt sacri canones, seu potius Summus Pontifex, qui irregularitatem induxit, eamque per sacros canones expressit; propterea Episcopus aut alii Summo Pontifice inferiores, non possunt irregularitates ferre, cum ad ipsos non pertineat jus commune ferre; negandum tamen non est, quin Papa possit irregularitatem per sententiam, seu ab homine ferre. *ibid. punct. 2. n. 1. & 2.*

5. Nulla est admittenda irregularitas ob solam auctoritatem Doctorum de consuetudine testantium: neque incurritur ob æquale, simile, vel majus delictum: quia nulla datur irregularitas quæ non sit in jure expressa. *ib. n. 3. & 4.*

6. Causa materialis, seu potius subjectiva in quam cadit irregularitas, est omnis homo, capax ordinis, subditus jurî communi; hinc exclude infidelem aut feminam, cum non habeant capacitatem ad ordines. *ibid. n. 6. & 7.*

7. Causa formalis irregularitatis sunt verba irregularitatem exprimentia, v. g. *numquam ordinetur, ad clericatum non promovetur, ad sacros ordines aspirare non audeat, &c.* hinc patet differentia irregularitatis à suspensione, quod irregularitas directe privat susceptione clericatus & ordinum; suspensio vero privat usu & exercitio ipsorum ordinum. *ibid. nu. 10. & seq.*

8. Ad irregularitatem ex delicto incurrendam requiritur culpa mortalis; nec videtur probabile eam posse ferri